QUÆSTIO
MEDICA
PROPOSITA

AB ILL. AC NOB. D. DOMINO
JOSEPHO TRIMUNDO
BRUN,
Doctore medico Aggregato, Regente Ordinario, ac Profeſſore primario.

SUB HAC VERBORUM SERIE

An partus Octimeſtris Septimeſtri magis vitalis ſit.

Quam pro altero ex punctis ſibi ſorte aſſignatis, Deo favente & auſpice Dei-parâ tueri conabitur Nobil. D. MICHAEL BALTHASAR St. DONAT Manuaſcenſis diœceſ. Segeſteronenſis, Medicinæ licentiatus, in magnâ Cancellariæ aulâ Palatii Archiepiſcopalis die Aprilis 1719. à ſeptimâ ad meridiem.

PRO DOCTORATU.

AVENIONE,
Apud JOANNEM DELORME, Typog. & Bibliop

M. DCC, XIX.

318332

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

QUÆSTIO MEDICA

An partus Octimeſtris ſeptimeſtri magis vitalis ſit.

I.

GENERATIO maris & fæminæ conjunctione abſolvitur; individuam vitæ ſocietatem, immortalitatis imaginem, regnorum& humanitatis ſeminarium continet. Hæc non ſolùm in animalibus, ſed in vegetantibus etiã õninò ſimilis. Quis enim ſine admiratione videat ex tenuiſſimis granis proceras naſci arbores quæ ſublimi vertice vicina propè feriant ſydera? ſed quiſquis humanũ ſemen ſpeculabitur ægrè ſibi perſuaſurus eſt ex tenuiſſimis hujus particulis, virum fieri multis partibus conflatum arte mirâ perfectis. Humani generis conſerva-

tioni adeò providus naturæ conditor ſtuduit ut hominibus ſuam propagandi ſpeciem ſtimulos inſeverit. Nullum non datum iis generandi tempus : omni tempeſtate , quâlibet anni Die generationi apti. In animantibus non tanta fuit Dei cura. (*a*) *Anniverſariorum temporum ordo brutis coitûs finem affert*. Equi uno menſe maïo, cervi menſe octobri libidinantur, ambo per annum integrum utero gerunt.

Marte feles. maïoque canes, junioque chamælæ.

Oves ſemel in anno , tribuſque aut quatuor à conceptione menſibus parturiunt. Turtures menſibus ſingulis pullos edunt, item cuniculi. Elephas apud quoſdam duobus annis, apud alios menſibus octodecim prægnans eſt. Hominibus nullum à naturâ naſcendi ſeu pariendi tempus ; veluti cæteris animantibus conſtitutum eſt. (*b*) *Fœtus ſeptimo , octavo , nono , & etiam decimo menſe natus pro ratione natus eſt & vivit.* Cur autem non uno determinatoque tempore homines , ſicuti animalia , in lucem edantur , plurimùm inter authores controvertitur. Incaſſùm

(*a*) *Hippocr. Epiſt. 2. ad damaget.*
(*b*) *Ariſtotel. lib.4. de gener. animal. & problem.ſect.10.*

temperamenta jactitant nonnulli, in hominibus multò inſigniùs quam in aliis animantibus diſcrepantia. Quid inde deduceretur? puerum cum ſanguine materno ſæpè maternam indolem ſugere. At non tanta eſt diſſimilitudo; mulierum genus ſuſpicite, alias fuſcâ facie, candidâ alias, rutilante alias videbitis decoratas, quibuſdam concinnam & eminentem corporis magnitudinem, aliis brevem ſtaturam natura tribuit; quædam utero gaudent anguſto, aliquæ amplo. Plures abundanti ſanguinis copiâ turgent; multæ paucâ donantur. Hæc in mulieribus, ſequentia in animantibus animadvertere licet. Inter equos v.g. alii pilo albo ſunt, alii nigro, ſubruffo alii, quidam cinereo aut variis coloribus diſtincto: inter eos plures generoſi, audaces, ac pede celeres; plures tardi, meticuloſi, & oneribus ferendis ſolummodo apti: inter canes quanta pilorum, coloris, & ſtaturæ diverſitas? quis jam ergo hanc temperamentorum opinionem probaturus erit? ſed ut omnimodè corruat illud imaginationis figmentum, addere ſufficiet parturitionis tempus in animantibus non ſemper certum & determinatum animadverti. Canem ſæpè *(a)* bimeſtrem,

(*a*) *Ariſtotel. lib.* 4. *de gener. animal.*

quandoque (*a*] trimeſtrem parere fætum referunt. Oves quædam (*b*) quarto aut quinto menſe ſolummodo liberantur. Similiter ex equabus nonnullæ niſi tranſacto duodecimo (*c*) menſe parturiunt. Veras igitur & genuinas variæ hominum nativitatis cauſas accipite. 1°. animantibus certum concipiendi tempus ſtatuit natura, certum conſequenter pariendi: in hominibus verò non determinatum eſſe debet parturitionis tempus, cum non ſit conceptionis. 2°. (*d*) Gravidæ mulieres à coitu non abſtinent, imò amoris æſtro percitæ perpaucæ virum reſpuunt. Venereis impulſibus & motionibus ſuccutitur uterus, fætumque immaturè expellit ac præpoſterè. 3°. ex animantibus aliæ ova pariunt, aliæ fætus in tubis ferunt; mulier autem ſemper utero puerum geſtat. 4°. Cum debile admodùm ſit mulierum temperamentum, onus vix gerere poſſunt abſque incommodo, depravatur plerumque appetitus, nocivis veſcuntur cibis, qui vel partum infeliciter promovent, vel eum inconſultò retardant. Animantia verò vel ægrotantia vel ſine morbo gravi-

(*a*) *Varr. lib.* 2. *de re ruſtic. cap.* 9. *albert. mag. de animal. lib.* 9. *c.* 2.

(*b*) *Plin. Hiſt. nat. lib.* 8. *cap.* 47.

(*c*) *Varr.* lib. 2. *de re reſtuc. cap.* 7.

(*d*) *Zacchias quæſt. med. leg. lib.* 1. *tit.* 2. *quæſt.* 1.

da eadem ſemper comedunt edulia. 5°. mulieres quaſi victimæ mactantur menſe ſingulo dùm menſtruas patiuntur purgationes, quæ quidem graviditatis tempore cohibentur, uterus ideò ſanguine turgidus fætum comprimendo promovet ad exitum, commodius domicilium conſectantem. Hæc ex ſtructurâ partium & accuratis obſervationibus ritè deducuntur. Jam verò partum qui nono menſe accidit tanquam legitimum, vitalem, & ex omnibus perfectiſſimum agnoſcimus. Poſt hunc qui decimo vel octavo, deindè qui fit ſeptimo: eoque magis naturalis vocari debet, quo magis ad naturale tempus ſeu nonum menſem appetit. Partus ante ſeptimum menſem *(a)* abortus dicitur, & infeliciter tunc nati nec legitimi [*b*] ſunt, nec vitales. Qui poſt decimum menſem (*c*) naſci pueros exiſtimarunt, à naturæ principiis aberrantes falſâ veritatis imagine decipiuntur.

II.

QUandiù in utero latitat fætus nutritionem à matre repetit convenientem & abundantem, tantâque magnitu-

(*a*) *Mercurial. lib. 2. de morb. mulier. cap.* 1.
(*b*) *Hipp. lib. de carnibus & ſep. part. Ariſtol. de generat animal. lib. 7. c.* 4.
(*c*) *Sckenk. obſerv. lib.* 4. *Plin. Hiſt. natur. lib.* 7. *cap.* 5. *Alex, Benedic. lib,* 25. *cap.* 23.

dine ac mole creſcit ut ex anguſto carcere quærat educi, atque totis viribus exitum ſuum ſollicitet. Hæc vera eſt & genuina partûs cauſa. Illud autem nono graviditatis menſe plerumque evenit, quandoque ſeptimo, octavo, & decimo. Solus octavo natus & imperfectus, & non vitalis à maximâ medicorum catervâ prædicatur. Quin etiam plures octimeſtrem ultra dies octo vivere non poſſe affirmarunt; tandemque eò res devenit ut octimeſtrem inter abortivos fætus connumerare non dubitaverint. Qui error adeò obcæcavit quorumdam mentem, ut ſi contraria opponantur experimenta, & adoleſcentes octimeſtres nati oſtendantur qui vitam ad extremam uſque ſenectutem feliciter perducunt, iiſdem ac cæteri homines gaudentes beneficiis, hos non octimeſtres eſſe, & matrem in computatione decipuiſſe audacter pronuncient. Nonne eodem jure eademque innixis ratione, tetricis & moroſis illis naturæ indagatoribus opponere fas eſſet nobis, ſeptimeſtres natos quos plurimùm vitales putant octimeſtres revera eſſe, & in menſium numero mulierem erraſſe. Sed dicere probare non eſt. Age ergo? ſeptimeſtris ex omnium conſenſu vitalis eſt, cur non erit

octimeſtris? certum eſt [a] novem menſium ſpatium requiri ad omnem fœtus humani perfectionem: conſequens utique eſt, quantò magis ab eo ſpatio fœtus abeſt tanto minori perfectione eundem gaudere; quantò verò minùs, tantò etiam perfectiorem habendum eſſe. Atqui verum eſt ſeptimeſtrem ab eo ſpatio longius abeſſe, minùs verò octimeſtrem, ergò minus à naturali perfectione octimeſtris diſtet neceſſum eſt. Ultimis ſeptimi menſis diebus natum infantem vivere poſſe nemo negabit, paucis poſt diebus, octavi nempè menſis principio, eundem natum vivere poſſe nullus fortaſſè fatebitur. Similiter noni menſis initio nato longævam ſenectam prædicent omnes; at paucis ante diebus in lucem edito vel breviorem vitam omnes denegabunt. Hujus itaque opinionis falſum & ridiculum quis non videt? quis adeò rationis expers, ut hunc mentis ſcopulum non diligenter fugiat? authorum qui partu mulieres levant obſervationes conſulite; obſtetrices etiam audiatis, ex illis ſani omnes, ex his pleræque affirmabunt octimeſtres plurimos non minùs ac ſeptimeſtres vitales fuiſſe. Sicut enim (inquit clariſſimus & exmius ævi noſtri author) (b] ex eâdem

(a) *Berger. de nat, human. lib. 2. cap. 3.*

b) *Moriceau traité des accouchements lib. 2, cap. 1.*

vineâ imò ex arbore eâdem fructus alii ocyùs ſeriùs alii matureſcunt, ita ex mulieribus quædam tardiùs, quædam citiùs fructum edunt, ſed à ſeptimo ad decimum uſque graviditatis menſem fætum pariunt vitalem.

III.

SEptimeſtrem partum octimeſtris præſtantiorem ſomniavit antiquitas, primus Hippocrates ſtuduit probare. *Puer* [ſunt verba Hippocratis (a) *ſeptimo menſe natus certâ ratione in lucem prodiit & vitalis eſt, cùm is rationem & numerum exactè ad hebdomadas reſpondentem habeat. Octavo autem menſe natus, nullus unquam vixit.* Huic adhæret opinioni galenus, [b) *Septimeſtres partus*, inquit, *vivunt octimeſtres minimè.* Hic error apud medicos adeò graſſatus eſt, ut perpauci hiſce temporibus contrariam ſententiam vix auſi ſint defendere : verùm ut è re tanti momenti caliginem omnem abigam, Hippocratis rationes perpendere non extraneum erit. exiſtimat ille fætum ſeptimo menſe (c) majori perfectione ac robore vigere quàm aliis temporibus, & conſequenter eo

(a] *Hipp. lib. de carnib.*
(b) *Galen. lib. de defin. med.*
(c) *Hipp. lib. de ſept. part.*

tempore natum ſupervivere, ſed ratione nullâ probat. De octimeſtri partu ſic loquitur: [a, *at verò quod ad partum qui octavo menſe editur, attinet, fieri non poteſt ut duas continenter conſequentes afflictiones pueri perferant ideòque eos qui octavo menſe naſcuntur minimè ſupereſſe. Hic etenim accidit ut eâ quæ in utero eſt, & eâ quæ in partu fit afflictione conſequenter laborent, propterea-que eorum qui octavo menſe eduntur nullus eſt ſuperſtes.* Morbo corripi, fætum ſeptimo menſe credidit Hippocrates, & ante hanc afflictionem natum ſanum eſſe & vitalem. Morbum illũ per dies quadraginta ſævire in fætũ addidit; adeòque tunc natũ nullũ manere ſuperſtitem ex his ſequeretur primis noni menſis diebus editum morbo adhuc detentum vel ex eodem jam jam convaleſcentem, valdè debilem, & infirmum naſci, nec non vitæ minimè aptum. Qui verò decimo vel undecimo in lucem prodiret, & vivere & omninò ſanum eſſe, tandemque omnium perfectiſſimum dici infantem qui ſeptimo menſe editur, ut qui, tempus quo in utero geſtabatur, ſine morbis tranſegit. Puerum ſeptimo graviditatis menſe morbo laborare ex eo deducit Hippocrates, quod tunc fætum in utero verti putat, & e vinculo exſolutum evadere graviorem. (b) *at*

a *Hipp. lib. de octim. part.* b *Hipp ub. ſupr.*

propter permutationem, inquit, *ex locis in quibus alebatur alterationem ſentit, & circa umbilicum vellicatur, alioque migrat, tùm etiam propter matris labores. Membranæ namque dùm tenduntur & umbilicus vellicatur dolores matri pariunt, fœtusque priſtino vinculo exſolutus gravior evadit, pleræque etiam mulieres ex hoc caſu inſuper febre corripiuntur, quædam quoque unà cùm fœtu pereunt.* Sed ut ulteriùs confirmet puerum octavo menſe ægrotare his addit. *a quæ verò mulieres multos pueros pepererunt in quibus aliquis claudus aut cæcus aut alioqui male affectus fuit, eæ affirmant ſe in his geſtandis pueri octavum menſem moleſtiùs tuliſſe, quam in his quos nullo modo affectos pepererunt.* Hæc & innumera alia ex hippocrate referre poſſem, v. g. quæ ſcripſit de numero ſeptenario adconfirmandum ſeptimeſtrem partum perfectiſſimum eſſe. *Hic enim terminus*, (*b*) ait, *pro harmoniæ ratione a quibuſdam ponitur, & integer perfectuſque numerus eſt.* Sed hæc recenſere longiùs foret ac inutiliùs. Hanc hypotheſim omnimodè erroneam nulloque innixam fundamento ſtabili nemo non videt. Puerum ſeptimo menſe in utero verti, eundem quadraginta diebus ægrotare ſomnia ſunt &

a Lib. de Septim. part. b Ibid.

imaginationis commenta. Qui duo [a) à naturâ præfinita tempora ſeptimum nempè & nonum menſem pro omni partu ex cogitaverunt à vero non minùs recedunt. Quibus enim rationibus opinionem confirmabunt, quibus tuebuntur ? intricata logices congerant ſophiſmata, aſtrologorum computationes colligant, verba dabunt & voces ; ratio verò ut modo clariùs luce oſtendam, pro nobis ſemper militabit.

I V.

HIppocratis opinionem referre non extraneum fuit, hanc nunc refellere operæ pretium eſt. Puerum ſeptimo graviditatis menſe in alvo verti, eundem quadraginta diebus affici morbo, mulieres octavum menſem maximo cum incommodo ferre, aliaque hujuſmodi gratis ſuſtinet Hippocrates. Quælibet namque mulieres negant fætum ſeptimo menſe motus edere vehementiores, & à ſitu ſolito quodammodo immutare, ac potiùs ad unam omnes affirmant hunc paucis ante partum diebus in utero verti & capite prono ſe ad uteri collum offerre, ſive nativitas ſeptimo vel octavo, ſive nono aut decimo menſe accidat. Nulla etiam

a *Avincenn lib. de gener. animal.*

gravida mulier poterit aſſerere ſe *pueri octavum menſem moleſtiùs tuliſſe*, niſi quatenùs grandior fætus cum majori geſtatur incommodò. Unde falſa & futilis ex eo eſt hæc ratio quod nono menſe multò gravior fætus majores matri labores afferat. Attamen eo tempore natum perfectum omninò eſſe & vitalem ipſe fatetur Hippocrates. Sed eſto, demus puerum in morbum ſeptimo menſe incidere. Hunc per quadraginta dies ægrotare unde deducetur? ab illis qui hoc cenſent liceat inquirere unde affectus ille oriatur? Sanè cum Hippocrate pueri inverſionem & vinculi permutationem aſſignabunt. Cur ergo, ſi hoc ita eſt, exactis quadraginta diebus levabitur fætus, cùm cauſæ morbum producentes adhuc vigeant, fætusque, ut aïunt, ad priſtinum ſitum nunquam revertatur. Valeat itaque hæc opinio, ſi etenim revera per aſſignatum tempus laboraret infans, ſequeretur nonimeſtrem minùs ſeptimeſtri vitalem eſſe quia ab afflictione vix levatus labores partûs ſufferre non poſſet; hoc tamen experientiæ & ipſimet hippocrati *(a)* adverſatur. Sic ultimò argumentum componere liceat firmiſſimum & graviſſimum.

a *Hip. de ſept. part.*

Affectio ſeptimi menſis initio incipiat ; puer ſub finem octavi in lucem edatur, quâ ratione hic non erit vitalis, cum à morbo liber omninò ſit & immunis, ille verò feliciori gaudebit vitâ qui ultimis ſeptimi menſis diebus morbo correptus, primis noni ex utero prodibit eodem adhuc incommodo detentus. Ex his patet quantùm in eâ re cæcutiant Hippocrates & hujus aſſeclæ, præcipuus tamen error à variâ antiquorum & neotericorum computandi normâ oritur, qui enim apud Hippocratem octavus menſis eſt, apud recentiores ſeptimus dicitur; quem verò ſeptimum vocat, ſæpè ſœpiùs ſextum audiunt. Sic qui puer octimeſtris eſt ex Hipocrate & non vitalis, ex aliis ſeptimeſtris eſt & vitalis. Similiter ex eodem vitalem ſeptimeſtrem, inter abortivos ſex menſium fætus recenſent. Hic autem in menſium computatione error ab eo provenit, quod antiqui medici & cum iis Hippocrates graviditatis menſes non ex ſolis ſed ex lunæ circuitu dinumerarent. *Nam menſem nominari ſpatium quod ab uno lunæ coitu cum ſole, uſque ad alterum intercedit nemo eſt qui neſciat*, inquit (*a*) Galenus, & hippocartes (*b* *decimeſtres & un-*

a Comment. in lib. hipp. de Sept. part. *b Lib. de oct. part.*

decimeſtres partus ex ſeptem quadragenariis eodem modo fiunt veluti ex dimidio anno ſeptimeſtres. Menſes lunares ſolaribus breviores ſunt, nec integer dici debet menſis, primus lunæ menſtruus curſus in quo gravidata eſt mulier; ſecundus verò cum novâ lunâ non incipit, quidquid dixerit Hippocrates, quia tunc ſæpè ab aliquibus tantùm diebus utero gravis eſt. Nos itaque cùm neotericis omnibus & antiquis quibuſdam ſpatium tringinta dierum menſem appellamus, & ex dimidio anno ſemeſtres, veluti ex ſeptem quadragenariis nonimeſtres vel ad ſummum decimeſtres dicimus. Unde manifeſtum eſt Hippocratem & hujus ſectatores plurimùm erraſſe in iis quæ de ſeptimeſtri vel octimeſtri partu ſcripſerunt. Ex variâ illâ computandi methodo varii in perlegendis authorum libris occurrunt loci, varia exempla; ſic virgilius decimeſtris partùs exemplum refert. (*a*)

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes

Simile in plauto reperitur. [*b*]

. . . . *Tùm illa quam compreſſerat*
Decumo poſt menſe exacto hîc peperit filiam,

Menander Poëta græcus ſic ait [*c*)

γυνὴ κυεῖ δεκάμηνος

a *Virgil. Eclog.* 4. *b* *Plaut. in comed ciſtellar.*

c *Anl. gel. noct. att. lib.* 3. *mulier decem menſibus utero gerit.*

In ſcripturâ ſacrâ apud Salomonem ſic habetur, (b) *ſum quidem & ego mortalis homo ſimilis omnibus & ex genere terreno illiùs qui prior factus eſt; & in ventre matris figuratus ſum caro: decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine ex ſemine hominis & delectamento ſomni conveniente.* De nonimeſtri partu manifeſtum eſt quod in ſcripturâ ſacrâ apud machabæos [c) legitur. *Fili, miſerere mei, quæ te in utero novem menſibus portavi.* Sed pro omnibus facit exemplum divini redemptoris noſtri quem novem exactè menſibus ſolaribus utero geſtavit virgo deipara, à vigeſimo nempè & quinto menſis martii ad Decembris vigeſimum quintum. Illi autem varii authorum loci non niſi à variâ eorum hypotheſi proveniunt: alii de menſibus ſolaribus, de lunaribus alii ſermonem habent.

V.

QUandoquidem mulieres in menſium computatione non modò alios quandoque fallere contendant, ſed etiam ipſæ ſæpè ſæpiùs decipiantur, veriſimile eſt plures quos ſeptimeſtres putarunt oc-

b Salomon. ſapient cap. 4. initio.
c 2. cap. 7.

timeſtres eſſe, plurimos vero octimeſtres nonimeſtres prodire. Si etenim mulier menſtruas patiatur purgationes duobus primis graviditatis menſibus fætum autem pariat nonimeſtrem, ipſum ſeptimeſtrem putabit, quia graviditatis menſes à purgationum defectu dinumerabit. Similiter ſi à quacumque cauſâ cohibeatur menſtruus fluxus ante graviditatem, mulier verò duobus ab hinc menſibus concipiat utero, ſeptimòque menſe pariat certè hunc nonimeſtrem dicet, quamvis reverâ ſeptimeſtris ſit. Natura, in operationibus ſuis ſemper una, ſemper eadem unicum hominibus ſicuti cæteris animātibus ſtatuit pariendi tempus perfectum, illud nonus menſis eſt. Qui citra hoc tēpus naſcuntur, cum non adeò perfecti, non adeò vitales, iique vitæ aptiores exiſtimandi qui ab eodem minùs recedunt. Si partus decimum menſem proceſſerit, ſēper ſuſpectus eſt, ſi ante ſeptimum in lucē edatur fætus, abortivus dici debet & non vitalis; ſi ſeptimeſtris vivere poteſt, minùs tamen octimeſtri. Quæcumque igitur de ſeptimeſtri partu ſcripſit Hippocrates, ſomnia ſunt quæ ex numero ſeptenario fluunt. omnes namquè mulieres atteſtari poſſunt ſibi non magis ſeptimo quam octavo & nono menſe pueri motus & labores conſ-

tare

tate ; ſed exactis demum novem menſibus ſolaribus plerumque partum fieri. deſinant itaque medici Hippocratis auctoritate niti , Ut octimeſtres vivere non poſſe probent. Deſinant affirmare ſeptimeſtres magis octimeſtribus eſſe vitales. Deſinant etiam contendere juris conſulti utrùm octavo matrimonii menſe natus pro legitimo hærede habendus ſit , vel inter nothos adſcribendus. Nugæ enim illa ſunt vel potiùs peſſima injuſtitiæ ſemina à patris diſcordiâ & mendacio emiſſa, fota , atque nutrita.

Ergo partus octimeſtris ſeptimeſtri magis vitalis eſt.

F I N.